

CHRISTOPHORI  
BESOLDI, JC. ET  
ANTECESSORIS  
Tubingensis,  
SPICILEGIA POLITICO.  
JURIDICA,

*DE LEGATIS, (2) DE SESSIONIS  
præcedentia, ac item (3) De Pacis Jure:  
(4) deq; Arcanis Rerum-  
publicarum.*



ARGENTORATI,  
Impensis Hæredum L A Z A R I Z E T Z N E R I.

Anno M D C X L I

# DISSE

# R T A T I O N I S

## POLITICO-IVRIDICAE I.

De Legatis, eorumque Iure,

### C A P U T I .

*Prolegomena de antiquitate, necessitate, &  
utilitate Legationis.*

**M**erito Aristoteles suæ etatis Leguleios, ac Juris Professores reprehendit; utpote qui *τὰς τὰν συναδηλωμάτων*, & de formulis, quæ privatae hominum actiones respiciunt, ad ravidam & transeam usque disputarent: ea vero, quæ ad totius Reipublicæ administrationem, & commoda spectant, quasi pro derelicto haberent. Sanè & hoc seculo nostro multi inveniuntur, qui in componendis ac dirimendis controversiis privatorum, magno rei familiaris compendio versantur; pauci, qui de Republica rectè instituenda suscipiunt cogitationem. Ac certè condonanda illis hæc negligenter esset, si non etiam invenirentur, qui studia, quæ huc conducunt, summo conatu impedirent; & id quod vulgo dici solet, in usu haberent: Ars nulla osorem habet, nisi ignorantem. Verum non hæc impedire me possunt, quin ego nunc de materia quadam politica instituam tractationem, nempe de Legatis eorumque Jure: quæ quidem adeò illustris & utilis visa fuit hand paucis, ut nulla ferè de matetia alia cot reperiantur, qui scriperint ex professo. Quippe jam olim, de Legationibus aliquid commentatus est Crates Atheniensis, Diogene Laertio teste. Demetrios item Phalerenus, Plato, & Diotimus, in eodem quoq; versati sunt argumento; quod ex eodem Laertio, Strabone, & Athenæo cognosci potest. Multa passim de Legationibus Demosthenes & Æschines habent. Extant Eclogæ, seu fragmenta, aut excerpta de Legationibus, ex Polybio, aliisque Historicis Græcis, tam extantibus, quam amissis; quæ Urbinus, Casaubonus, & Hæschelius ediderunt, rarum prudentiæ Politicæ Thesaurum continent. Estque Titulus & quæ in Codice, ac Digestis, de Legationibus, singularis. Sunt non pauci Jurisconsulti, qui de Legatis tractatus evulgâunt. Martinus nempe de Caraziis Laudensis, de Legatis Principum. Julius Ferretius de Oratoribus, seu Legatis Principum, ac eorum fide & officio. Gondisalvus de Villadiego, de Legato, & alii in tomis tractatum eorum Jureconsultorum, qui de Jure scriperunt extantes. In primis autem Conradus Brunus, olim in hac Academia Philippi Melanchthonis condiscipulus, & postea Bayariæ Principum Consiliarius, de Legato & Legationibus illustris edidit opus, Anno M. D. XLVIII. in folio, Moguntiæ impressum, dignum, quod cum aliis ejusdem operibus recudatur. Octavianus Magius, Venerius, Franciscus le Vayer, Advocatus Parisiensis, & Albericus Gentilis, singulares